IOHANNES THOMAS OBRECHTUS JURECONSULTUS, ET SACRI Palatij, Aulæq; Cæſareæ, & Imperialis Conſiſtorij Comes, Lectoribus benevolis

S. P. D.

MAgna ſemper laus artibus ac ſcientiis fuit habita: præmia cōceſſa ſunt ampla ijs, his qui maximè excelluerunt. Neque id injuria. Si enim ſolidæ eruditionis ac doctrinæ cognitio, hoc quaſi præcipuum & ſingulare habet, ut juvenibus ſobrietatem, ſenibus ſolatium, inopiâ laborantibus aſylum atque unicum vitæ præſidium ſuppeditet: Plebeis argenti, Nobilibus auri, Illuſtribus ac Generoſis gemmarum loco ſit: hoc tandem efficiat, ut non modò ſecum quis ipſe tranquillè pacatéque vivat, verè ac legitimè bonis ſuis utatur fruatur: verùm etiam cum alijs benè beatéque vivat; committat nunquam, ut motus, veluti cives ſeditioſi ac turbulenti, faſces rationi

SLUB Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden